

155 Inter hamādryadās iaculātrīcemque Diānam  
     Callistō sacrī | pars fuit ūna chorī.  
     Illa, deae tangēns arcū, ‘Quōs tangimus arcū,  
         este meae testēs | virginitātis’ ait.  
     Cynthia laudāvit, ‘Prōmissa’ que ‘foedera servā,  
 160     et comitum prīnceps | tū mihi,’ dīxit, ‘eris.’  
     Foedera servāsset, sī nōn fōrmōsa fuisset:  
         cāvit mortālēs, | dē Iove crīmen habet.  
     Mīlle ferās Phoebē silvīs vēnāta redībat  
         aut plūs aut medium | sōle tenente diem;  
 165     ut tetigit lūcum (dēnsā niger īlice lūcus,  
         in mediō gelidae | fōns erat altus aquae),  
         ‘Hīc,’ ait, ‘in silvā, virgō Tegeaea, lavēmur’;  
         ērubuit falsō | virginis illa sonō.  
     Dīxerat et nymphīs. Nymphae vēlāmina pōnunt;  
 170     hanc pudet, et tardae | dat mala sīgna morae.  
     Exuerat tunicās; uterī manifesta tumōre  
         prōditur indiciō | ponderis ipsa suō.  
     Cuī dea ‘Virgineōs, periūra Lycāoni, coetūs  
         dēsere, nec castās | pollue,’ dīxit, ‘aquās.’  
 175     Lūna novum deciēs implērat cornibus orbem:  
         quae fuerat virgō | crēdita, māter erat.  
     Laesa furit Iūnō, fōrmam mūtatque puellae:  
         quid facis? Invītō est | pectore passa Iovem.  
     Utque ferae vīdit turpēs in paclice vultūs,  
 180     ‘Hūius in amplexūs, | Iuppiter,’ inquit, ‘eās.’  
     Ursa per incultōs errābat squālida montēs  
         quae fuerat summō | nūper amāta Iovī.  
     Iam tria lūstra puer fūrtō conceptus agēbat,  
         cum māter nātō est | obvia facta suō.  
 185     Illa quidem, tamquam cōgnōsceret, adstitit āmēns  
         et gemuit: gemitūs | verba parentis erant.  
     Hanc puer īgnārus iaculī fīxisset acūtō  
         nī foret in superās | raptus uterque domōs.  
     Sīgna propinqua micant: prior est, quam dīcimus Arcton,  
 190     Arctophylax fōrmam | terga sequentis habet.  
     Saevit adhūc cānamque rogal Sāturnia Tēthyn  
         Maenaliam tactīs | nē lavet Arcton aquīs.